


DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE TESTAMENTIS.

QUAM
AUSPICE DEO,
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. GERARDI NOODT, Jurisconsulti,
& in Academiâ Lugduno-Batavâ
Antecessoris Ordinarii;
NEC NON
Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac Privilegiis
ritè, atque legitimè consequendis,
Eruditorum Examini subjicere voluit,
ADRIANUS WEVERINGH, Delph-. Bat.
Ad diem 29 Decemb. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCVIII.


KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Nobilissimis, Amplissimis, Gravissimis.

VIRIS

D. ANTONIO WEVERINGH, J.U.D. Senatori, & nuper Scabino Civitatis Delphensis, Præfecto recognoscendis copiis militaribus hujus Reipublicæ ordinario, Patri meo, summo cum honore, atque pietate Colendo.

D. ABRAHAMO HOOGENHOECK, J.U.D.

D. ARNOLDO HOOGENHOECK, J.U.D.

} Avunculis meis plurimum observandis.

D. HUGONI 's GRAVESANDE, Senatori, ac Consulari Urbis Delphensis, & ejus nomine in Collegium Amplissimum eorum, qui totius Reipublicæ Fœderatæ rationes curant, Delegato.

D. FRANCONI à BLEIZWYK, J.U.D. Senatori, & quondam Scabino Delphensium, ut & Quæstori atque Curatori publicarum pecuniarum in tractu Delphensi.

} Avunculis per affinitatem summo honore venerandis.

NEC NON

Gravissimo atque spectatissimo

VIRO

D. PHILIPPO WEVERINGH, Toparchæ in HOLY, J. U. D. Pupillaribus bonis curandis Præfecto in civitate Amstelodamensi, Patruo Magno, maxima reverentia ac summo officiorum cultu in perpetuum prosequendo.

UT ET

Clarissimis, Doctissimisque Viris

D. JOHANNI VOET, J. U. D. in illustri ac almâ Academiâ Lugduno-Batavâ cum Theoretici, tum Practici Juris Professori ordinario, studiorum Juridicorum Doctori facillimo, de me meisque studiis optime merito.

D. JACOBO PERIZONIO, Historiarum, Eloquentiæ, ac Græcæ Linguæ Professori Literatissimo, facundissimo, ut & h. t. Senatui Academico à Secretis fidelissimo, studiorum meorum fundatori indefesso.

Hanc Disputationem Inauguralem

Humillime Offero

ADRIANUS WEVERINGH.

Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
TESTAMENTIS.

Caput Primum.

Disputaturo mihi in mentem venit materia testamentaria, quæ haud inutilis, nec ſane diſquiſitioni incongrua mihi viſa fuit. Examinato itaque ipſo teſtamenti vocabulo, homonymum illud eſſe compertus ſum, quapropter non abs re fore exiſtimavi, ſi plurimas vocabuli ſignificationes enumerarem. Primo occurrit eo ſenſu, ut deſignet generaliter ultimam quandam voluntatem uti in *§ multis* 1 *Inſt.*

de Libertin. ſecundo loco denotat ipſas teſtamenti tabulas i. e. inſtrumentum, in quo hæc ultima voluntas ſcribitur, vid. *tot. tit. ff. teſtam. quemadm. aper.* Præterea quoque ipſa ſcriptura, quâ voluntas teſtatoris declarata eſt, voce teſtamenti denotatur. *in tit. ff de his quæ in teſtam. delent.*

Inſuper complectitur ſua ſignificatione ipſam hæreditatem teſtamentariam, quod patebit inſpicienti Sueton. in Nerone. *cap:* 32. *L. mulierem* 14. *ff. de his quæ ut indign. L. ult. ff. de bonor. poſſ. ſecund. tab. ac L.* 2. *Cod. de bonis matern.* Denique obvenit vocabuli ſignificatio maxime genuina, ac propria; ſumitur tum pro expreſſa voluntate, ac juſſu teſtatoris. uti liquet ex definitione *L.* 1. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* quam mox latius exponere animum induxi. vid. Vir. Clariſſ. Paul. Voet *ad Pr. Inſt. de teſtam. ordin. N°.* 1.

Caput Secundum.

Antequam teſtamenti definitionis exponendæ initium faciam, in id prius inquirendum cenſui, cuinam juri ſcilicet teſtamenti factio adſcribenda foret, utrumne Juris gentium eſſe dicenda ſit, an vero Jure civili demum conſtituta fuerit, ac tunc tantum innotuerit. Hac de re enim inter D. D. magnus eſt diſſenſus. Teſtamenti factio autem Juris Gentium eſſe neganda non videbatur, quia apud gentes ſpecies quaſdam ultimarum voluntatum reperimus, tradit enim Diogen. Laërt. de *vitis Philoſophorum*, Ariſtotelem, Philoſophorum Principem, cum nullam ſpem vitæ ſupereſſe videret, teſtamentum condidiſſe, ac in eo liberos ſuos, datis ipſis ſubſtitutis, hæredes inſti-

instituisse. Legimus quoque in Sacris paginis, quod Patriarchæ, ante mortem de rebus suis disposuerint, ac earum curam aliis demandaverint, uti patet ex Genes. Cap. 15. v. 2. & 3. ac Cap. 27. Alias quoque gentes præter Quirites testamenta fecisse, hoc Scriptores ipsorum indicant. Tacitus in *lib. de moribus Germanorum* Cap. 20. tanquam insolitum, ac quid singulare refert, quod nullum apud illos testamentum fuerit. Hactenus jam vidimus exempla, quæ testamenti factionem juris gentium esse declarant; Sunt & argumenta, quæ pro jure civili militant, veluti illud, quod facultas testandi descendit ex Lege 12. tab. quæ est Civium Romanorum propria *L.* 1. *ff. ad* L. *falcid. L.* 120. *ff. de V. S.* ac numeratur inter modos acquirendi dominii juris civilis in *§. ult. Inst. de Usu & habit*: Præterea illis qui Juris gentium esse statuunt obstat textus *L.* 3. *ff. qui testam. fac. poss.* ubi Papinianus refert, testamenti factionem non *privati*, sed *publici juris* esse. Cui Resp. vocabulo *publico* accepto pro eo quod utilitate tale est, juxta divisionem juris propositam in *§. ult. inst. de Just. & jure* ac *L.* 1. *§.* 2. *ff. eod.* testamenti factio tum juris privati esse dicenda foret, at vero dicitur jure publico scil. auctoritate fieri quidquid testamento relinquitur in Capite Secundo *L.* 1. *ff. ad Leg. falcid. ac L.* 120. *ff. V. S.* Juris publici ergo dicitur ad oppositionem Contractuum, ac conventionum, quæ pro cujusque privati arbitrio conficiuntur; at vero testamenta non nisi a lege ordinantur *L. ult. ff. de Suis & legit. hæred*:

Hæc vero cum sit anceps quæstio, ac argumenta tam pro jure gentium, quam jure civili certantia, abunde satis inveniantur, vix igitur quo me vertam scio.

ſcio. Attamen non dubito, quin hicce ſcrupulus facile tolli poterit, ſi mediam quandam eligerimus viam. Ex ante dictis jam patere exiſtimo, quod & gentes teſtari ſolitæ fuerint, igitur non abſurdum erit dicere, teſtamenti factionem, quantum ad originem eſſe juris gentium quantum ad formam, plane juris civilis juxta tot. *tit. inſt. de teſtam. ordin.* vid. *Weſemb. ad tit. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* No. 8 *Wiſſemb. ad eund: tit. No.* 9. *Paul. Voet ad pr. inſt. de teſtam. ordin. No.* 3. *Schneidew: eod. No.* 14. *Vinn. ad pr. inſt. eod. No.* 3. *Harprecht ad eund. tit. Pr. N.* 99. *Zoes. ad tit. ff. qui teſtam. fac. poſſ. N.* 1.

Caput Tertium.

Teſtamenti definitio licet in promptu ſit, ac nobis tradatur a Modeſtino in *L.* 1. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* quod *teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* id tamen negotii mihi datum eſſe cenſui, ut definitionis verbis brevem explicationem adderem, varie enim hæc Modeſtini definitio carpitur, ac quibusdam non ſatis plena, nec teſtamento admodum concinna videtur: rem tamen multo aliter ſeſe habere patebit, ſimulac verbis accuratius examinatis, eorum vim noverimus. per *Voluntatem* autem hic loci intelligenda eſt ultima voluntas argum. *L.* 32. *§.* 3. *in fin. ff. de donat. inter vir. & uxor. L.* 4. *ff. de adim. vel transfer. Legat. L.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* quare voluntas hæc præciſe debeat eſſe *noſtra* hinc colligi poteſt, quia quiſque tantum ſibi nemo pro alio teſtamentum facere admittitur, niſi in caſu quo pater

pro

pro filio impubere testamentum condit. *tot. tit. inst. de pup. subst.* dicitur enim in *L.* 32. *ff. de hæred. instit.* testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. Præterea *Sententia justa* requiritur i. e. talis, quæ legibus est conformis, ac desideratis solennitatibus munita. Argum. *L.* 4. *ff. qui testam. fac. poss. & L.* 1. *ff, de injusto rupt. testam.* Cum ICtus dicit de *eo.* per hanc voculam mihi significare videtur, quod testator, de omni patrimonio suo disponit, quia jus non permittit pagano pro parte testato, pro parte intestato decedere *L.* 7. *ff. de R. J. vid. Schneid. ad tit. inst. de testam. ordin. N.* 5 *&* 6.

Additur quoque in definitione, *quod quis post mortem suam fieri velit*, post mortem enim testatoris testamentum demum vim habere incipit, ipsiusque voluntas non ante firma ac rata habetur, quam mors supervenerit, quæ est ultima linea rerum, ac per eam omnis innovandi quicquam in testamento copia sublata sit, quod vivente adhucdum testatore, sæpius contingere solet, quapropter voluntas defuncti dicitur ambulatoria usque ad extremum vitæ exitum *L.* 32. §. 3. *ff. de donat. inter vir. & uxor. L.* 4. *ff. de adim. vel transfer. legat.*

Qui jam hanc definitionem increpant, ac tanquam imperfectam rejiciunt, hanc rem maxime vitio dant, non continet inquiunt hæredis institutionem, quæ caput ac fundamentum est totius testamenti §. *ante* 34. *inst. de legat.* insuper hanc definitionem codicillis applicari posse, in eo disputant. Horum argumenta refellere, jam definitionis verbis in antecessum expositis porro magni momenti non erit. Hæredis institutionem autem quod attinet; sub hac definitio-

ne eam comprehendi evidentissime patet, ex interpretatione vocis *justæ*, quæ *solennis* est exponenda, cum hæredis institutio prima ac præcipua sit solennitas, quæ in testamento observanda est; qua de re in sequentibus, cum testamenti solennitates singulatim enumerare aggrediar, plura animadvertere animum induxi. Qui ajunt Codicillis quoque hanc definitionem attribui posse, hac sua igitur opinione quammaxime falluntur, nulla enim solennitatis ordinatio Codicillis adhibenda est *§. ult. inst. de Codicillis vid. Viglium & Mysing. eod.* in testamento contra stricte observari debet, ut dictat vox *justa*; hanc igitur definitionem à Modestino propositam testamenti propriam esse affirmo.

Caput Quartum.

Præcipuas testamentorum species recensere ordo jam postulare visus fuit: Non autem de iis verba facecere animum induxi, quæ olim in usu fuerunt, uti illud, quod Calatis comitiis peragebatur, quodve in procinctu fieri dicebatur, nec illud, quod per æs & libram fiebat, exponere mihi animus est, quæ singula comprehensa sunt *in §. 1. inst, de testam. ordin. vid. Vinn. eod. N°.* 1. 2. 3. Mansit autem jure novo illa testamentorum distinctio; quod vel in scriptis fiant, vel viva voce coram septem testibus nuncupentur *§. ult. inst. de testam. ordin. l. 21. ff. qui testam. fac. poss.*

Testamentum quoque est solenne ac minus solenne ex: gr: paganicum & militare, juxta *tit. inst. de testam. ordin. & tit. inst. de testam. milit.* militare

au-

autem nullas requirere ſolennitates notum eſt ex *Pr.* *&* §. 1. *inſt. de teſtam. milit.* Paganica vero teſtamenta, licet vulgo requirant, ut perfectis ſolennitatibus ſint munita, attamen in nonnullis, non ita ſtricte ſolennitatum ratio habetur, ſicuti in teſtamento tempore peſtis condito, in quo ſimultanea præſentia teſtium eſt remiſſa *l.* 8. *C. de teſtam* etiam in teſtamento, quod ruri conditur, non exigitur quoque pleniſſimus numerus teſtium, ſi plures enim idonei non inveniuntur, quinque teſtes adhibiti, ſatisfaciunt *L. ult. C. de teſtam.* patris denique teſtamentum inter liberos maxime eſt privilegiatum, nam duorum teſtium præſentia, vim ac validitatem tali teſtamento præbet, quin imo nuda parentis ſcriptura rata habetur. *L.* 21. §. 1. *&* Auth. *quod ſine Cod. de teſtam.*

Caput Quintum.

Hoc jam examinandum venit, quibus modis teſtamentum ſolemne, (de minus ſolenni, enim in præſenti nihil dicere mihi ſtat ſententia) ſubſiſtat, ſuumque ſortiatur effectum. dicendum igitur exiſtimo cum Schneidew. hoc pro regula in hac materia tenendum eſſe, quando de validitate alicujus teſtamenti quæritur, ut imprimis conſideretur, an is, qui fecit teſtamentum habuerit teſtamenti factionem activam, dein an ſecundum regulas juris teſtatus ſit, uti dictat quoque *L.* 4. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* ubi Gajus J Ctus breviter mentionem facit, primo de perſona teſtantis, ſecundo de teſtandi modo, ac ordine, denique de teſtamenti ſolennitate interna i. e. de illis, quæ teſtamento, ut valeat

 ne-

necessario continеri oportet vid. *Vinn. ad Rubr. de testam. ordin.* junct. Rubr. *Inst. de exhæred. liber.* quæ singula speciatim investigare, ac latius explicare maxime necessarium judicavi.

Caput Sextum.

Personam testantis quod attinet, leges autem imprimis jubent, ut is qui testamentum conditurus est sit civis Romanus, quod expresse postulat Caput primum & Secundum *Legis* 1. *ff. ad Leg. falcid.* Servus igitur omnino non testamentum facere potest *L.* 8. *§. ult. & L.* 16. *§. ult. ff. qui testam: fac. poss.* Ratio ejus autem haud longe petenda est, servi enim jure civili pro nullis & mortuis habentur *L.* 32. *ff. de R. J.* Peregrini quoque ad testandum non admittuntur, quia jus civitatis Romanæ non habent *L.* 8. *§.* 1. *&* 2. *ff. qui testam. fac. poss.* Nec illi possunt testamentum condere, qui ab hostibus capti sunt, quia captivitate cives Romani esse desierunt *L.* 8. *pr. ff. qui testam. fac. poss.* Cives Romani obsides dati testandi facultatem non habent, nisi expresse hoc ipsis permittatur *L.* 11. *ff. qui testam fac. poss.* vel usus togæ Romanæ, quæ propria Romanorum vestis erat, illis concedatur *L.* 32, *ff. de jure fisci.* multo minus deportato id licere certum est *L.* 8. *ff. qui testam fac. poss.* quia ille cum infamia numero civium Romanorum est exemtus *§. 2. inst. quib. mod. patr. potest.* neque tali quidem, qui de statu suo dubitat, ac circa conditionem suam hæret, ulla testandi copia conceditur. *L.* 14. *&* 15. *ff. qui testam. fac. poss. L.* 1. *pr. ff. de legat.* 3.

Se-

Secundo necesse est, ut is qui testatur sit sui Juris ac paterfamilias. argum: *pr. inst. quib. non est permiss. testam. fac.* Lex, 12. *tab.* qu oque hoc significat illis verbis. *Paterfam: uti Legassit super pecunia tutelave, suæ rei, ita jusesto. in fragm:* Ulpiani *Tit. de tutelis* 11. §. 14. Hæc autem lex est integra Authore Cornificio ad Herennium vid. Cujac. *in notis ad D. locum* Ulpiani. Filius fam: itaque testamentum condere nequit *L.* 16. *ff. qui testam. fac. poss.* ne tum quidem, cum pater ipsius in id consentiret. *pr. inst. quib. non est permiss. testam. fac. L.* 6. *ff. qui testam: fac. poss.* ejus ratio dari potest, quod testamenti factio sit juris publici *L.* 3. *ff. qui testam. fac. poss.* jusque vero publicum privatorum pactis mutari nequeat *L.* 38. *ff. de pactis.* Attamen in singulari casu filiisfam: permittitur testamentum condere; nempe de peculio castrensi, & quasi castrensi libere disponere possunt. *§. ult. inst. de testam. milit: ac pr. tit. inst. quib. non est permiss. testam. fac.* non tamen hoc illis ut filiisfam: facere licet, sed eo respectu, quod horum peculiorum intuitu pro patribusfam: habeantur *L.* 2. *ff. ad Sen: Ctum Macedon: L.* 6. *§. ult. ff. de injusto rupto irrit fac. testam:* ex his igitur quoque concludi oportet, quod is qui vult testari, debeat esse Paterfam: *vid. Clar. §. testam: Quæst.* 18. *N.* 6. *Schneidew. Pr. tit. inst. quib. non est permiss. testam. fac. N.* 6. 7. 8. *litt. C. & D.*

Caput Septimum.

Hinc vulgo quæri ſolet, an filiusfam: de peculio adventitio pleno teſtari non poſſit, ſcil: de iis rebus, exquibus quidquam percipere patri expreſſe vetitum eſt. Cum alias regulariter filii omnia patri acquirant §. 1. *inſt. per quas perſon. cuique acquir.* an etiam non de illis in quibus parti uſusfructus denegatur, ita ut filius, eorum plenum dominium nanciſcatur Nov. 117. *cap.* 1. Sunt Viri D. D. qui in tali caſu filiumfam. teſtamentum condere poſſe affirmant: at vero falluntur aſſumto ſuo argumento hanc cauſam allegantes quare filiusfam: teſtamento diſponere nequit, quia quiſque de pecunia tantum ſua teſtatur *L.* 77. *§. mando* 24. *ff. de Legat.* 2. *L.* 13. *Cod. de teſtam:* filiusfam. vero nihil in cenſu habet. *L.* 7. *Cod. qui bon. ced. poſſ.* quidquid enim acquirit patri tantum lucro eſt §. 1. *inſt. per quas perſon. cuique acquir.* filiumfam: in his caſibus teſtari non poſſe concedunt; at vero ille qui peculium adventitium plenum nactus eſt habet pecuniam inqiunt de qua ultima voluntate diſponere poteſt. *in tribus Authent, inter pr. L. 6. & §,* 1. *Cod. de bon. quæ Liber.* Reſp: leges expreſſe prærequirere, uti in anterioribus jam memoravi, ut is qui teſtatur, ſit paterfam. argum: *Pr, inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. atque* ex fragm. Ulpiani *Tit.* 11. §. 14. aut ſaltem pro patrefam: habeatur, uti fit in peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi *L.* 2. *ff. ad Sen. Ctum Maced. L.* 6. *§. ult. ff. de injuſt. rupt. fac. teſtam.* Præterea Imperator ſatis perſpicue de peculio adventitio pleno loquens, filiumfam: de eo teſtari expreſſe

pro-

prohibet in *L. pen. Cod. qui testam. fac. poss. vel non* vid. *Zoes: ad tit. ff. qui testam. fac. poss. No. 17. Schot. in exam. jurid. ad d. tit. Corv. eod. Paul. Voet. ad pr. inst. de testam. ordin. No. 2. Harprecht ad eund. tit: Pr. No. 29. Bronchorst. Cent. 2. Assert. 28. Schneidew. ad pr. inst. de testam: ordin. No. 11. Vinn. pr. inst. quib. non est permiss. testam. fac. No. 6.*

Caput Octavum.

Nullus insuper ad testandum admittitur si pubes non sit §. 1. *inst. quib. non est permiss. testam. fac:* Pubes autem censetur masculus anno 14. completo, femina vero anno duodecimo, ut tamen ultimus dies cœptus in hoc casu pro completo habeatur *L. 5. ff. qui testam. fac. poss.* ratio quoque est addita, quia impuberes nullum animi judicium habere dicuntur §. 1. *inst. quib. non est permiss. testam. fac.* quod etiam docet *L. 4. Cod. qui testam. fac. poss. vel non.* Ætatis vero in testamentis tanta ratio habetur, ut ne militibus quidem, quibus circa testamenta nihil cum jure est commune, liceat hanc partem juris eludere *L. ult. Cod. de testam militis*, ubi Imperator quoque rationem addit, *indignum* inquit *nostris temporibus esse videtur, eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum, sapientium hominum jura pertrectare, & in tam tenera ætate ex tali licentia parentibus, forte suis vel aliis propinquis nocere, propriam substantiam aliis relinquendo &c.* Est iterum levis hæsitatio, ac quæritur testamentum ante annum decimum quartum à

mas-

masculo, ante duodecimum à femina conditum, pubertate denique superveniente an non possit convalescere, quod plane negandum censeo argum *L.* 19. *ff. qui testam. fac. poss.* ac *L.* 210. *ff. de R. J.*

Caput Nonum.

Hæc sunt, quæ circa personam testatoris imprimis notatu digna videbantur, jam porro in id inquirere maxime necessarium est, quis testandi modus, quænam Solennitates in eo observandæ sint. In Solenni testamento scripto, (de nullo enim alio in præsenti tractare mihi visum fuit) ante omnia inspiciendus venit testium numerus eorumque conditio.

Etenim singulare quid circa testamenta animadverti potest, in aliis ultimis voluntatibus cum sufficiant quinque testes *L. ult. §. 3. Cod. de Codicill:* quod in testamento, ut jure subsistat, adhibendi sint testes septem d: *L. ult. §. 3. Cod. de codicill.* juncta *L.* 23. *ff. qui testam. fac. poss.* & ita stricte observatur hic numerus testium, ut si unus modo ex septem, defecerit, ipsum testamentum quoque sit nullius momenti *L.* 12. *Cod. de testam.* Illi testes vero debent specialiter esse rogati ad hunc actum perficiendum, vel saltem antequam adhibeantur, de eo certiores facti *L.* 21. *§.* 2. *ff. qui testam. fac. poss.* Præterea oportet illos, qui in testamento testes assumendi sunt, Cives Romanos esse, masculos, ac quidem puberes *§. 6. inst. de testam. ordin. L.* 21. *Cod. de testam.* Mulieres expresse prohibentur in testamento testimonium perhibere *§. 6. inst. de testam. ordin.* quod nonnullis mirum videtur, ac hujus rei causam indagan-

gantes in fragilitate ſexus poſitam eſſe putant; quæ ratio autem mihi parum ſatisfacit, quia mulieres in capitali judicio quidem teſtes adhibentur, atque audiuntur *L.* 20. *§.* 6. *ff. qui teſtam. fac. poſſ. L* 11. *ff. de teſtib.* Hanc igitur rationem multo veriſimiliorem fore exiſtimavi, quæ deſumenda eſt ex more antiquo, quo olim teſtamenta fiebant. Veteres Romanos Calatis comitiis teſtari ſolitos fuiſſe notum eſt ex *§.* 1. *inſt. de teſtam. ordin.* ac ita tanquam teſte toto populo Romano ſuas ultimas voluntates pronunciaſſe, teſtantur Ulpian. in fragm. *tit.* 20. Gell. *lib.* 15. *cap.* 27. in his autem Comitiis non niſi viros congregatos fuiſſe, ac feminas plane excluſas ſatis perſpicue indicat idem Gell. *lib.* 5. *cap.* 19. *Cum feminis* inquit *nulla comitiorum communio eſt.* Cum ergo jure veteri feminis teſtandi facultas omnino non data fuerit, jure novo hanc poteſtatem etiam illis denegandam Prætor cenſuit d: *§.* 6. *teſtes autem inſt. de teſtam. ordin.* Sunt denique & aliæ perſonæ, quæ propter conditionem ſuam teſtes eſſe prohibentur, uti ſervus, furioſus, ſurdus, & alii plures recenſiti in *§.* 6. *teſtes autem inſt. eod.* nec is teſtis eſſe poteſt, qui eſt in poteſtate teſtatoris *§.* 9. inſt. eod. quia teſtes idonei non ſunt quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant *L.* 6. *ff. de teſtib.* intelligenda autem illa verba de cauſa Imperantis, in qua non licet, in alterius enim cauſa permittitur *§.* 8. *inſt. de teſtam. ordin.* Hæredi Scripto etiam interdicitur in teſtamento teſtimonium perhibere *§.* 10. *inſt. eod.* Legatariis tamen teſtandi facultas eſt permiſſa *§.* 11. *inſt. de teſtam. l.* 20. *ff. qui teſt. fac. poſſ. L.* 14. *ff. de reb. dub. L.* 22. *Cod. de teſtam.* Ratio quoque *in d. §.* 11. *inſt. de teſtam. ordin* addita eſt, quod Legatarii juris ſucceſſores

C non

non sunt; Heredes enim vero universi juris successores sunt, Legatarii autem certæ rei tantum *L. 6. ff. de exception. L. 9. §. 12. ff. hæred. instit.* Hæres igitur, cum sit universi juris successor, suæ rei testimonium diceret, si admitteretur testis esse in testamento, in quo hæres scriptus est, quod a jure plane est improbatum, ac expresse vetitum in *L. 10. ff. de testib.* vid. *Paul. Voet. ad. §. 11. inst. de testam. ordin. No. 1. Vinn. eod. No. 2.*

Caput Decimum.

Testium conditione inspecta, ac quales testamento confirmando per testimonium suum idonei censentur, jam porro id examinatum iri ordo postulat, quonam tempore scilicet testium status considerandus sit; Hæc igitur quæstio est, utrum tempore mortis testatoris, an testamenti facti momento in id inquirendum sit. Enimvero aperta satis est sententia Ulpiani *in L. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* ubi ait, Conditionem testium tunc inspicere debemus cum signarent, non mortis tempore, si igitur tunc, cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possint, nihil nocet, si quid iis postea contigerit. Cui quoque concordat Imperator Hadrianus in *L. 1. Cod. de testam. vid. Cujac. ad L. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. Vinn. ad §. 7. Inst. de testam. ordin. No. 1. Wissenb. ad tit. ff. qui testam. fac. poss. No. 25.* res igitur expedita est, quod si civis Romanus masculus, pubes signaverit, servitus, infamia condemnatio, aliaque supervenientia testamento non obsint vid. *Gothofr. in not. ad L. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.*

CA-

Caput Undecimum.

Notum jam esse opinor, in quonam statu testes positos esse oportet, hoc igitur prætermittendum non est, quænam scil. solennitas circa testimonium dicendum in testamento observari solet. Imprimis autem nulli testes admittuntur, nisi specialiter ad hunc actum perficiendum sint rogati *l.* 21. §. 2. *ff. qui testam. fac. poss.*, debent etiam simul congregati esse, ac animum tam diu ad negotium attentum habere, donec testamenti solennia omnia fuerint peracta *L.* 20. §. 8. *ff. qui testam. fac. poss.* & quidem ex libera voluntate, nam si coacti adhibeantur, testamentum foret nullum *L.* 20. §. *ult. ff. eod.* requiritur quoque ut testes ipsum testatorem videant *L.* 9. *Cod de testam.* ac insuper eum intelligant, vel ex sermone, vel ex sensu, quod sufficit *L.* 20. §. 9. *ff. qui testam. fac. poss.* His recte observatis, præterea quoque à testibus est subscribendum testamento; sive autem testator illud prælegerit, sive tabulas clausas tradiderit, parum refert, modo testator testes monuerit, illas continere suam voluntatem. Ac ipsum quoque testatorem subscribere oportet, *L.* 21. *Cod. de testam.* nisi vero totum testamentum manu propria conscripserit, quod holographum vocant, atque se id fecisse in scriptis expresse addiderit *L.* 28. §. 1. *Cod. de testam.* Sin vero scribere non potest, octavus testis adhibitus pro testatore subscribere admittitur *L.* 21. *Cod. de testam.* Testes porro etiam subscribere oportet, ac proprio Chirographo adnotare quinam & cujus testamentum signaverint. *L. pen. ff. qui testam. fac. poss.* id quisque pro se nemo pro

 alio

alio facere poteſt *L.* 30. *Cod. de teſtam.* niſi illic loci, ubi tot literati non inveniuntur, tunc enim teſtibus pro ſe invicem ſubſcribere licet *L. ult. Cod. eod.* Denique teſtibus incumbit, ſua ſignacula teſtamento imponere; utrum id proprio an alieno annulo fiat, parum refert, quin imo & ipſius teſtatoris annulo ſubſignare licet *§. 5. Inſtit. de teſtam. ordin. L. 22. §. 2. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Cum igitur tanta circa ſignandum licentia data ſit, quæritur inde an alio quodam inſtrumento, quam annulo liceat teſtamento ſignum imprimere? Reſp. cum Vinn. *ad tit. Inſtit. de teſtam. ordin. §. 5. num.* 3. quod verius eſſe exiſtimem, non tantum annulo, ſed alio quovis inſtrumenti genere ſubſignationem fieri poſſe, modo illud habeat χαρακτῆρα i.e. formam aliquam aut inſculptam quandam imaginem *Bart. Hottom. Weſemb. ad §. 5. Inſtit. de teſtam. ordin. Donell. in comment. de Jur. Civili lib. 6. cap. 8. artic. 2.*

Caput Duodecimum.

Antequam teſtamenti ſolennitates externas enumerare, atque explicare deſiſtam, id adhuc dicendum mihi ſupereſt, quod teſtamentum debeat fieri unico contextu *§. 3. Inſt. de teſtam. ordin.* qua occaſione paulo accuratius examinare animum induxi, an ſcil. contractus in teſtamento celebrari poſſit? quod prorſus negandum eſſe mihi videtur, quia actus à teſtamento alienus ei intermiſceri non debet *L. 21. §. ult. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. 28. Cod. de teſtament.* ratio quoque in *ipſa Lege* 28. *eod.* additur quod cauſâ ſubtiliſſimâ propoſitâ, ea quæ ſuperflua ſunt, minime

nime debent intercedere, nisi forte ad salutem testatoris necessaria, ut medicaminis datio, emplastri impositio, vel ad testamentum condendum necessaria, ut ceræ liquefactio &c. uti patebit inspicienti *L. 28. Cod. de testam.* Contractus autem est actus à testamento maxime alienus, verba enim *contraxerunt. gesserunt* non pertinent ad jus testandi *L. 20. ff. V. S.* vid. Donell. *in comment. de Jur. Civil. lib. 6. cap. 8. artic. fin.* Paul. Voet. *ad §. 3. Instit. de testam. ordin. num. 3.* Zoës. *ad tit. ff. qui testament. fac. poss. num. 29. & 30* Schot. *in exam. jurid. eod.* Vinn. *ad §. 3. Instit. de testament ordin. num. 7.* Bronch. *centur. 2. assert. 29.*

Caput Decimumtertium.

In enumerandis testamenti solennitatibus occupatus, illud etiam minime prætermittendum censui, utrum nomen hæredis testamento contineri debeat, an denique ex postfacto patefactum iri sufficiat? Jure quidem anteriore Justinianeo necesse erat, ut nomen hæredis manu testatoris, vel testium, coram quibus id exprimendum erat, perscriberetur, si scil. ipse testator scribere non posset *§. 4. Instit. de testam. ordin. L. 29. Cod. de testam.* ut hoc modo omnis fraudis occasio tolleretur circa hæredis institutionem, quæ præcipuam testamenti partem constituit. Attamen hoc iterum est innovatum, quia ita testamenti præcipua pars detegitur, quod minime expedit, hoc igitur est abrogatum, ac ab Imperatore constitutum, ut suffecerit, si omnino reliquam legitimam observationem testator in testamento adhibuerit. Novell. 119.

cap. 9. vid. Vinn. *ad* §. 4. *Inſtit. de teſtam. ordin. num.* 1.

Caput Decimumquartum.

In ſuperioribus memoravi ad tria potiſſimum in teſtamento eſſe attendendum, primo ſcil. ad ipſam perſonam teſtatoris, deinde ad externas teſtamenti ſolennitates, de quibus hactenus jam actum fuit, ultimo loco igitur reſtat explicare internam ipſius ſolennitatem, quæ caput ac fundamentum eſt totius teſtamenti, vocaturque hæredis inſtitutio § 34. *Inſt. de legat.* dicitur enim ipſum teſtamentum conſtituere *L.* 3. *ff. de his quæ in teſtam. delent. L.* 1. §. 3. *ff. de vulg. & pup. ſubſt.* ita ut ſine eo, nihil in teſtamento comprehenſum ſubſiſtere queat *L.* 1. §. 13. *ff. de vulg. & pup. ſubſt.* Hæc autem inſtitutio eſt communis omnium teſtamentorum, in teſtamentis vero Parentum, qui liberos habent, ſi illi hæredes eos non inſtituant, exhæredatio neceſſaria eſt. *tot. tit. Inſtit. de exhæredat. liber. L.* 31. *ff. de liber. & poſthum. hæred. Inſtit. L.* 1. *ff. de injuſt. rupt. & irrit. fac. teſtament.*

Hæredis inſtitutio nihil aliud eſt, quam deſignatio ſucceſſoris in univerſum jus defuncti, ſic ut teſtator pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere non poſſit *L.* 7. *ff. de Reg. Jur.* ſed debeat totius patrimonii ſui hæredem unum vel plures deſignare, quapropter ſubtilitate, Juris Civilis ita eſt conſtitutum, ut is, qui ex certa re tantum eſt inſtitutus, detracta rei mentione, ex aſſe hæres ſcriptus eſſe cenſeatur *L.* 1. §. 4. *ff. de hæred. Inſtit.*

L.

L. 41. *§. ult. ff. de vulg. & pup. subst.* Zoeſ. *ad tit. ff. de hæred. Instit. num.* 10. quin etiam ſi ex ſemiſſe inſtitutio facta ſit, tamen totus as. i. e. tota hæreditas, in ſemiſſe contenta eſſe habeatur *§. 5. Inst. de hæred. inst.* Vinn. *eod. num.* 3. Licet vero teſtator jus accreſcendi expreſſe prohibuiſſet. Fachin. *lib.* 4. *controv.* 15. vid. *L.* 55. *de legat.* 1. junct. *L.* 7. *ff. de Reg. Jur.* Cumque in tempore quoque plus aut minus intelligatur *§.* 33. *Instit. de action. L.* 12. *§.* 1. *ff. de V. S.* ac pro eo aliquis, quaſi teſtatus, aut inteſtatus mori dicatur *L.* 41. *in princ. ff. de testam. mil.* ideo ad tempus nemo recte hæres inſtituitur *L.* 7. *§.* 10. *in fin. ff. de minorib. L.* 88. *ff. de hæred. inst.* ac in *§.* 9. *Instit. eod.* vid. Pacium *ad d. §.* 9. *Inst. eod. reg.* 2. Vinn. *eod. num.* 3. Wiſſemb. *ad tit. ff. de hæred. inst. num.* 11. Et quia hæredis inſtitutio eſt principale quid, hinc eſt, quod ſi quiſquam neque aliquid ſit legaturus, nec quemquam exhæredaturus poſſit tribus verbis teſtamentum condere. Uti hoc modo *Lucius hæres esto. l.* 1. *§.* 3. *ff. hæred. inst.* quibus autem verbis inſtitutio fiat, parum ad id attenditur, quiſque enim teſtator, pro lubitu verba proferre poteſt, modo illis ipſius voluntas manifeſta fiat *L. quoniam Cod. de testam.* Plura circa hæredes, dicere hujus loci non eſſe exiſtimo, cum in præſenti id negotii tantum mihi datum ſit, ut breviter modum proponerem, quo teſtamenta recte ordinari ſoleant, votum igitur eſt, ut hæc ad materiam teſtamentariam percipiendam dixiſſe ſuffecerit.

FINIS.